





24.  
1772, 21.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**MERCEDIS DEMINVTIO  
INVOLVAT NOVATIONEM  
LOCATIONIS CONDV-  
CTIONIS**

P 216.  
QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAE SIDE

**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XXI. NOVEMB. ANNO CIOIOCCLXXII.

DEFENDET  
**ERNESTVS GOTTLLOB SCHMORL**  
BERLENS.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMPEFIIS.



LIBER  
MAN  
MURCHESE DRIMINATI  
FOGATONI MONEDO DAD  
NED COMDUGLOWS

LIBER  
MAN  
MURCHESE DRIMINATI  
FOGATONI MONEDO DAD  
NED COMDUGLOWS



AN  
MER CEDIS DEMINVTIO IN-  
VOLVAT NOVATIONEM LOCATIO-  
NIS CONDVCTIONIS.



§. I.

Sicut locatio conductio perfecta, quoties contrahentes partes in rem, vel operas atque mercedem consentiunt, ita *relocatio* atque *reconductio* non nouum aliquem contractum, sed prioris antea initiae locationis atque conductionis continuationem indicat. Hoc ita verum, si ea obligatio inter personas locatoris et conductoris continuetur. Est enim alia quoque relocationis quaedam species, cuius mentio fit apud VLPIANVM in L. 13. §. 10. n. locati conduct. Ait ICtus: *Si lege operis locandi comprehensum esset; vt si ad diem effectum non esset, RELOCARE id liceret: non alias prior conductor ex locato tenebitur, quam si eadem lege relocatum esset: nec ante relocari id poret, quam dies efficiendi praeteriisset.* Facile patet hoc capite relocate nihil aliud esse, quam locatum opus denuo vltterius perficiendum locare tertio cuidam. Accedit ergo in hac relocationis specie alius et nouus conductor seu potius operis redemptor, quam is, qui primum opus redemerat. De ea relocationis specie quoque quaestionem tractauit IAVOLENVS in L. 51. pr. n. cod. Sic verba legis: *En lege fun-*



fundum locauit, ut si non ex lege coleretur, RELOCARE cum mihi liceret; et quo minoris localem, hoc mihi praefaretur. caet. Neque hoc capite is, qui prius conducterat, reconductor erit, quippe promiserat in lege locationis conductor, si minori pretio locaretur, se, quo minoris locatus fuerat fundus, praestituru. Sed de hac relocationis specie non agimus.

### §. II.

Ergo eam, quae eodem locatore et conductorre manente fit, relocationem intelligimus. Illa enim noua magis et a priori diuersa videtur locatio, quae in tantum relocatio dicitur, quia prior locatio non omnino cessat, sed adhuc redemptor vel conductor obligatus manet, maxime etiam relocationis induitu, quod ex lauoleno appetit. Ea, de qua dicimus, relocatione deprehenditur in L. 13. §. II. π. locati. Scribit VLPIANVS: *Qui impletō tempore conductionis remansit in conductione; non solum RECONDVXISSE videbitur, sed etiam pignora videntur durare obligata.* Haec relocatio non expresso tantum partium consensu fieri potest, sed etiam tacito. Probant verba VLPIANI c. I. ut in ipso anno, quo tacuerunt, videantur eandem locationem renouasse. Et mox: *hoc enim ipse, quo tacuerunt, consensisse videntur.* Et idem VLPIANVS in L. 14. eod. Intelligitur enim dominus, cum patitur column in fundo esse, ex integro locare. Expressam illam reconstructionem relocationem haud habet VLPIANVS l. 13. in f. verbis: *nisi in scriptis certum tempus conductioni comprehensum, sed tacitam indicat relocationem fundi urbani, quae vel in tempus durat, quo habitatum est, si contractu tempus definitum haud fuerat, vel in tempus, quod contractu locationis determinatum erat.* Cum tacita in rustico fundo relocatio in annum continuaret lege romana eodem Vlpiano teste. De usu apud nos nihil addo, decisa causa est in DECISS. NOVISS. d. A. 1746. Dec. XXI.

### §. III.

§. III.

Relocatio atque reconductio vero iisdem conditionibus facta censetur, quibus locatio conductio inita erat. Proabant verba VLPIANI c. l. 13. §. 10. Sed etiam pignora videntur durare obligata, et in eandem sententiam, Timotheo rescripsierunt Imp. VALERIANVS et GALLIENVS A. A. et VALERIAN. Caef. in L. 16. C. de loc. cond. Verba sunt: *Legem quidem conductionis seruari oportet, nec pensionum nomine amplius, quam conuenit, reposci.* Sin autem tempus, in quo locatus fundus fuerat, sit exactum, et in eadem locatione conductor permanserit, ratio consensu, eandem locationem una cum vinculo pignoris renouare videtur. Hinc reconductor non tantum eandem mercudem, quam in conductione promiserat, etiam in reconductione soluere tenetur, verum, quae alia pactis locationi adiectis promissa sunt, in relocationem atque reconductionem simul transeunt. Quapropter recte LEYSERVUS Medit. ad Pand. Spec. CCXIV. Med. II. et III. inter alia statuit, in reconductione onera, quae conductor in conductione suscepit, in reconductione etiam, reconductorem, ferre debere. Sed de relocatione praeter LEYSERVUM cit. Spec. et PHILLIP. diff. de relocatione et reconductione iam alii satis dixerunt. Nos ad singularem speciem nostram veniamus.

§. IV.

Titius fundi partem locauerat Caio in triennium variis conditionibus pacto adiectis v. c. de mercede certo numerorum genere soluenda, de quibusdam aliis oneribus praestandis, imo certo lucro ex sublocatione capiendo, cuius ea erat causa, quod Titius tabernam in illo fundo mercatori cuidam extero locauerat, cui domicilium pro certa mercede per nundinas concedere ex sua conducta fundi parte promiserat Caius. At cum ad finem prope vergeret tempus conductionis, Caius conductor, cui mercedis quantitas nimia videbatur, nuntiabat Titio, se ob grauitatem

6

mercedis ad migrandum atque ad finiendam conductio-  
nem esse coactum. Titius contra, cum fundi partem va-  
quam ab ulteriori locatione futuram metueret, offert mer-  
cedis deminutionem, si continuaturus sit ex relocatione at-  
que reconductione contractum. Accipit hanc mercedis  
deminutionem atque finito tempore continuaat conductio-  
nem. Post Titius relocator noluit, ut mercator, cui taber-  
nam locauerat, amplius vteretur Caii domicilio, sicut in  
contraetu priori stipulatum fuerat, quippe eidem domici-  
lium datus in sua, quam possidebat, fundi parte, atque ar-  
gumenti loco ad deminutam mercedis quantitatem pro-  
uocabat. Negabat Caius, hoc fieri debere, quippe eae  
conditiones, quae in locatione et conductione scriptae,  
obligarent etiam in relocatione et reconductione. Contra  
Titius adserebat, nouam esse locationem initam, sic  
ad ea, quae in priori locatione statuta, se amplius non te-  
neri posse, cum illud lucrum ex domicilio mercatori  
dando nouiter non promisisset. Iam videamus, quis iu-  
stius sentiat.

§. V.

Ex ea, quam dedimus specie, facile apparet, omnem  
quaestionem controuersam in eo versari: an deminutio  
mercedis inducat nouationem contractus locati, an vero  
tantum saluo priori contraetu continuatio existat praeter  
deminutionem mercedis. Evidem in locationis condu-  
ctionis contraetu essentialis pars in mercedis determinatio-  
ne partium consensu deprehenditur; quapropter, cum  
quae antea in priori contraetu pretii determinatio facta  
fuerat, et qua prior contractus perfectus fuerat, cesset  
noua pretii determinatione, posset utique videri, nouum  
quoque contractum initum inter contrahentes esse, non  
vero relocationem celebratam. Nam quae in priori con-  
tractu erat obligatio ad maiorem mercedem solviendam  
peri-

hip

perimitur; nouaque obligatio constituitur ad minus premium accipendum. Nouatio vero tunc sit; si ita noua obligatio constituitur, ut prior perimitur, teste VLPIANO in L. 1. n. de Nou. et deleg. Quae si vera sunt, manifeste apparet, quae prioris locationis erant obligationes, in posteriori locatione noua illa amplius non deprehendi, nisi specialiter inter partes expresso consensu novo repetitae sint.

## §. VI.

Quamquam vero, quae obiecimus, veri aliquam speciem prae se ferant, tamen distinctio quaedam omnem componit item. Nam si eundem VLPIANVM sequimur in L. 2. n. eod. certum est, in nouanda obligatione eo respiciendum, an id agatur inter partes, ut noua obligatio oriatur et prior tollatur; mihi consequi posse videor, omnia ex intentione contrahentium, quam inuicem declararunt, diiudicari debere. Si enim inter se priorem plane sustulerunt contractum, ut nouum ineant inuicem, et remissis prioris contractus obligationibus nouam constituent alia mercede in hanc causam determinata; negari nequit, quamvis idem maneat locator, idem conductor, neutri tamen ius competere, obligationem aliquam exigendi ex priori contractu, quippe, quidquid in posteriori contractu promissum non erat, ad illud neuter alteri tenebatur. Sed hic nouandi contractum animus a partibus contrahentibus exprimendus.

## §. VII.

At vero, si nihil a contrahentibus de nouando priori contractu et transmutando eo in nouum conuentum sit, quod in specie illa s. IV. relata factum fuisse, haud apparet, semper negotium habendum erit pro expressa relocatione et reconductione. Quid enim impedit, quomodo contrahentes inter se relocationem pacto adiecto ali-

quid

66 66 66

quid immutare possint. Quis vero ab immutatione aliqua concludat ad integras priores obligationes sublatas, Cum enim locator nollet, ut conductor, qui de nimia mercede conquerebatur, migraret, pacto adiecto efficiebat, ut de minori mercede teneretur. Poterat enim hoc pacium durante adeo contractu iniri, salvo contractu, quidam in relocatione posset adiici. Cum ergo eo adiecto pacto mercedis tantum quantitas imminuta fuerat; ita reliqua, quae in ipsa locatione conductione statuta fuerant, quod conventione immutata non erant, tacite in relocationem transierant: In relocatione enim eae manent obligationes, quae in locatione promissae erant. Quapropter reconductor, quamvis minus pretium, tamen in eodem monetae genere, solitare debet, quo ex conductione soluendum erat. Fert reliqua reconductor onera, quae in conductione antea tulerat. Hinc relocatori haud competere potest ius recedendi ab ea obligatione, qua pati debet, ut mercator, cui suam locatierat tabernam, apud reconductorem amplius habitet. Neque forsitan sese excusat recte, quod partem de mercede remiserit, ne amplius mercator apud eum habitet. Cum enim, quae in animo reposita tenuerat, nihil ad obligationem efficiant, ita nec hac exceptione sese recte tueri poterit relocator.



Leipzig, Diss., 1772 A-R



f

TA-70L

nur 23. Stck. höher verka.



1772, 21.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**MERCEDIS DEMINVTIO**  
**INVOLVAT NOVATIONEM**  
**LOCATIONIS CONDV-**  
**CTIONIS**

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAE SIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXI. NOVEMB. ANNO CIOIOCCLXXII.

DEFENDET

ERNESTVS GOTTLLOB SCHMORL

BERLENS.

LIPSIAE

LITERIS RVM PFIIS.

